



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Metrica Paraphrasis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

SECTIO TERTIA.

ECCLESIASTES.

VERS. 12. Et cognoui quòd non esset melius nisi
lætari, & facere benè in vitâ suâ.

13. Omnis enim homo, qui comedit & bibit,
& videt bonum de labore suo, hoc donum
Dei est.

METRICA PARAPHRASIS.

SATIS impudente voto
Phaëthonticis quadrigis
Stellata templa cali,
Et siderum perennes
(Aciem obruente luce)
Lustrauimus choreas.
Satis impotente nisu
Pennisque Dædaleis
Per regna fulgetrorum,
Per nubiumque tractus,
Roris niuisque cunas,
Tentauimus volatum.
Satis insolente velo
Ac Tiphys carinâ
Furentis Amphitrites
Sulcauimus procellas:
Et ingenti minoris
Bolidè abditos recessus
Penetrauimus profundi.
Sat ingenti procacis

Erro-

Errore flexuoso,
 Labyrinthicisque spiris,
 Implexa per viarum
 Itum labante gressu.
 Ohe! sat est proterua
 Pruriginis sciendi:
 Potior mihi voluptas
 Recti tenere callem,
 Et gaudio fruisi.
 Quisquis volet, medullas
 Distillet in lucernam,
 Pernoxque per diusque
 Nimiâ sagacitate
 Se concoquens lique scat:
 Rimatus alta cali,
 Rimatus ima terra,
 Quæque orbis architectus
 Supra ambitum sciendi
 Procul extulit, premendo:
 Donec cupita tabes
 Bibat artubus cruorem,
 Vitietque succulentum
 Pallor genis ruborem,
 Maciesque nudet artus:
 Potior mihi voluptas
 Recti tenere callem,
 Et gaudio fruisi:
 Quæque herbidos Penates
 Siluæ comis opacant,
 Vel quæ fugax laborat
 Trepidare lymphæ riuis,
 Vitiis valere iusis.

Curis valere iussis,
 Latam explicare frontem,
 Temereque sic iacentem
 Vel Daphnidis sub umbra,
 Vel myrteo theatro,
 Crinem impedire sertis,
 Capacibusque conchis
 Stillare diu odorem.
 Hic cespitum per aquor
 Satyri, leuesque Fauni,
 (Hæc rusticana turba est)
 Cerasisque, ficibusque,
 Citreisque, Persicisque,
 Malisque, Dactylisque,
 Dapes ferunt inemptas.
 Hic Massicum liquorem
 Thyadum rotator Euan
 Cado æstuante promit,
 Iuuat hoc, iuuat salebris
 Scientia expeditum
 Recti tenere callem,
 Et gaudio fruisce.
 O! ter beata vita,
 Virtus vbi & voluptas
 Corde hospitantur vno!
 Maiusne munus orbi
 Blando fauore cæli
 Rutilo datum sub axe,
 Quam premium laboris
 Vite hunc videre fructum,
 Inter dapes suaves,
 Et Bacchicum liquorem,

Recti tenere callem,
 Et gaudio fruisi?
 O! ter beata vita,
 Virtus vbi & voluptas
 Corde hospitantur vno!

PROSA EXEGESIS.

OBVNTIABIT hîc, ni fallor, Stoïcorum aliquis, & visis aibus tam discoloribus, infaustum pronuntiabit augurium. Quod enim, inquiet, virtuti cum voluptate commercium? præsertim cum gaudium quidem nonnullum, nulla autem viro bono voluptas contingat? Nam Seneca quidem ita pronuntiat: Voluptas (si ad nostrum album verba dirigimus) res infamis est: gaudium nisi sapienti non contingit. Sed ego hanc logomachiam pro nihilo duco, cum *Et mala mentis*. Gaudia rectè cum Virgilio dicamus; & ipse Seneca disertè pronuntiet: Ista est voluptas & homine & viro digna, non implere corpus, nec faginare, nec cupiditates irritare, quarum tutissima quies est; sed perturbatione carere, vbi perspicuè honestè voluptatis meminit. Atqui hoc ipsum est quod intendo, nempe, sapientem, damnatâ insatiabili illâ sciendi cupiditate, & (quæ non minùs animi succum, quàm corporis exfugit) in secretis naturæ perscrutandis curiositate, ad hoc debere conniti, vt virtutum potiùs actionibus, quàm inani scientiâ delectatus, solidum gaudere possit gaudium. Nam quòd cibi potusque meminit Ecclesiastes; non eo consilio facit, vt ventris ingluuiem commendet; sed (quod alibi etiam inculco) parcemiali formâ loquendi securam ac tranquillam cum hilaritate vitam denotat: quod perspicuû euadit ex simili loco Ieremiæ, vbi Deus

Seneca lib.
 de Beatâ
 vitâ.

Idem li. 7.
 de Benefic.
 cap. 2.

Voluptas
 quedam
 honesta &
 homine
 digna.